

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

18. Iota vnum aut apex præteribit à lege, donec omnia fiant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

18. *Iota vnum aut apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.*

**Vniuersa lex quo- modo ad- implēda.** **Retract. lib. 1. cap. 19.** **Conc. 3.**

**Q**VIA hæc verba de legis mandatorum impletione Catholici intelligūt, vt plerique patres exponunt, & ipse maximè August. de serm. Domini in monte lib. 1. cap. 15. & Retract. lib. 1. cap. 19. insurgit hæreticus, & infert vniuersam legem necessariò ab ijs estè seruandam, qui per legis obseruantiam iustificari volunt: quæ vniuersa obseruatio quia in nullo reperitur, ideo ex mandatorum obseruatione neminem iustificari posse. Sed respondendum est, totam legem mandatorum ad salutem & iustitiam consequendam etiam ad vnum apicem hoc sensu adimpleri per gratiam Christi, quia facit gratia Christi ut maiora mandata de facto impleantur, & ignoscit gratia Christi quæ circa minora mandata in quotidianis peccatis prætermittuntur, vt in opere de Iustificatione lib. 6. cap. 8. accurate olim explicuimus. Sic August. hæc Christi verba pertractans ait, illa quidem vehementem perfectionis expressionem continere, sed ea mensura perfectionis humanae quanta in hac vita potest esse perfectio. Quare quum in cæteris Dei mandatis hoc vnum sit quod iubemur orare, Dismitte nobis debita nostra, profectò omnia mādata facta desputantur, quando quicquid non fit. ignoscitur. Hæc ille. Rursus in Psal. 118. In via Domini, id est, in fide pia quis quis ambulat, aut peccatum non operatur; aut si quid à deviante committitur, propter viam non imputatur, quia per operationem fidei ignoscitur. & tanquam non fuerit operatus accipitur. Hæc ille. Nempe quia tota Iustitia hominis Christiani non in sola obedientia legis, sed etiam in remissione peccatorum consistit (vnde vtraque

vtraque hēc pars in Scripturis Iustitia vocatur) fiunt omnia legis vsque ad vnum apicem , quia vel legi obeditur in grauioribus, vel omnis transgressio in leuioribus ignoscitur. Sed insurgit iterum hoc loco Caluinus & ait. Prodigiosus est eorum stupor, quos non pudet sacrilega indulgentia remittere quod Dens seuerè exigit, & venialis delicti prætextu legis iustitia pessundare. Hæc ille hoc loco. Sed venialis delicti prætextu legis iustitia non pessundatur , quia & venialia delicta à lege argui & contra legis iustitiam fieri docemus cum Augustino, & contra legis perfectio- Lib. de  
nem ad quam contendere semper oportet ., non nat. &c.  
autem contra restitudinem necessariam faciunt; grat. c. 12.  
ideoque quād diu contra illa pugnat , legis iustitia integerrimè seruatur , ut multis in locis Augustinus docet; maximè in lib. de perfectione iustitie. Vide opus nostrū de Iustificatione lib. 6.  
cap. 13. & seqq.

21. Audistis quia dictum est antiquis, &c.

**A**IT hoc loco superbus Caluinus, deceptos esse multos veterum , qui putarunt hanc esse legis correctionem, ac Christum suos Discipulos in altiorem perfectionis gradum extollere, quād potuerit Moyses populum suum. Moxque multis verbis docet, legem in se perfectam fuisse, nullusque legis defectus hic à Christo corrigi. Postremo cōcludit, non esse finendum Christum nouum legislatorem , qui ad æternam Patris sui iustitiam aliquid addit, sed tanquam fidum interpretem audiendum esse. Cæterum Christum verè legislatorem fuisse, Christus & ad æternam Patris sui iustitiam aliqua manda- verè legis ta addidisse , tum formaloquendi qua Christus lator. hic vsus est, tum aliæ Scripturæ manifestè docet. Hic enim docens, Ego dico vobis, suam præcipiendi

D 3 autho-